

eam necessitatem, quae sufferri non potest, peccat. Notandum est enim, quia valde S. Benedictus erga silentium laborat; nam aliquando dicit *cum gravitate loqui*, sicuti habes in XI gradu humilitatis, aliquando dicit *ut interrogatus non loquatur*, sicut habes in VIII gradu humilitatis, aliquando vero *summum silentium*, sicuti habes ad mensam, aliquando maxime nocturnis horis, sicuti superius habes in hoc capitulo, aliquando *horis incompetentibus non jungantur*, sicuti in XLVIII capitulo. Sciendum enim est, ubi dicit silentium cum adjectione, i. e. summum aut maximum, aut dicit: *ut non sit domo licentia cuiquam loqui*, aut *maxime*, aut *non jungantur*, aut *cum omni*, vult, ut nulla, inquisitio aut petitio aut interrogatio fiat. Et hoc etiam sciendum est, quia sicut laborat erga voluntatem propriam, ita etiam erga silentium, quia silentium mortificationem significat; silentium enim, sicut dicit propheta, custos justitiae est, quia, ubi silentium non est, nulla ibi justitia solet esse, eo quod murmuratio et cetera mala locutio est; ideo tam valde orga silentii custodiam laboravit.

Cap. XXXXIII.

DE HIS QUI AD OPUS DEI VEL AD MENSAM TARDE
OCCURRUNT.

Ad horam divini officii mox ut auditum fuerit signum, relictis omnibus, quaelibet fuerint in manibus, summa cum festinatione curratur. Rectum etiam in hoc loco ordinem tenuit S. Benedictus in eo, quod dixit, quibus horis reficiendum est, et dixit de completorii ratione, et subjunxit de his, qui ad opus Dei vel ad mensam tarde occurrunt. Quasi quis interrogasset S. Benedictum dicens: Ecce pater Benedicte, dixisti, quibus horis reficere debeamus, deinde dixisti, qualiter ad completorium agendum pervenire debeamus, et dixisti, quomodo linito completorio silentium tenere debeamus; dic etiam nunc, qualiter agendum est erga illos, qui tarde ad Signum divini officii occurrunt vel ad mensam - ille quasi respondens dicit: *Ad horam divini officii mox ut auditum fuerit signum, relictis omnibus* et reliq. Iste